

SOLEMNIA
MAGISTRORVM

PHILOSOPHIAE ET BONARVM ARTIVM

CREANDORVM INAVGVRANDORVMQVE

IN DIEM PROXIMVM IOVIS

H. E.

IPSAS KALENDAS MARTIAS

INDICIT

ET AD EA CONCELEBRANDA

INVITAT

ORDINIS PHILOSOPHICI

DECANVS

IO. AVGVSTVS ERNESTI

Inest Narratio Critica *de Editionibus*
Orationum Ciceronis.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA

~~165~~ 165

Coll. diss. A
165, 8

87. A. 165(8)

SOLENNIA
MAGISTRI RVM
IN THEOLOGIA
MAGISTRI RVM
IN THEOLOGIA

IN THEOLOGIA



ORDINIS THEOLOGICI
DECANVS
LOAVGVS TVS THOMAS

Magister Christianus Thoma

1724



Quod alio tempore in vniuersis Ciceronis libris feci, vt eorum editiones, quae inde ab initiis inuentae typographicae artis factae essent, enarrarem, et, vnde ducta quaeque, quid noui boni, vel ab accessione alicuius ante nondum editae partis, vel ab ingenio diligentiaque doctorum virorum, haberet, demonstrarem: idem cum in singulis generibus librorum Ciceronianorum facere instituo, non vereor, ne rem aut inutilem studiosis literarum latinarum aut ingratiuam suscipiam. Nam et superiorem illam operum omnium recensioem non improbatam a doctis hominibus intellexi, qui antea solis titulorum indicibus contenti fuissent, et hac de singulis generibus commemoratione effici posse confido, vt, qualia sint ea, quibus nunc utimur, exempla, quam vel emendata, vel vitiosa, appareat: quod est imprimis et vtile, et necessarium, non modo haecenus, ne magnorum virorum nominibus decepti, praeter modum laudemus ac probemus, quae probari non debent, quod, in hoc de editionibus veterum scriptorum iudicio, nimis solenne est, sed etiam, vt studiosorum diligentia acuatur ad curam animaduertendi, et vitia librorum editorum vel indagandi, vel emendandi. Etenim plerisque hoc euenturum certo scio, vt, lectis iis, quae a nobis erunt tradita, intelligant, nondum esse consumptam materiam laudis, quae ex emendandis Ciceronianis libris peti possit, nec exemplis iis, quibus vulgo utimur, nimis credi debere, sed omnia esse in legendo ad praecepta

IIII

grammatica, non vulgaria modo illa, sed etiam cetera exquisitiora, de vera verborum potestate, de temporum modorumque ratione et consecutione, et similibus, accurate exigenda, ut, cum primum aliquid abhorrens repertum sit, adiri libri superiores, et medicina requiri possit.

Sed a quo magis genere nobis conueniat initium capere, quam ab oratorio, quod nostrae professioni maxime proprium est, et ab Orationibus, in quibus publice enarrandis, quoniam hunc sesquiannum ita versati sumus, ut studiosos ad illam, quam ante descripsimus, rationem adduceremus, comparandis, vbi haerebatur, libris veteribus, facilius nobis erit, in hac tanta occupatione nostra, perficere, quae destinauimus.

Edendarum autem Orationum initium factum est seculi quintidecimi anno primo et septuagesimo, qui duas idem editiones extulit, alteram *Romanam Andr. Aleriensis* per *Sueinheimii* et *Pannartii* formulas, alteram *Venetam* per *Christophorum Valdarferum*, Ratisbonensem, quem post Mediolani artem fecisse docet *Saxius*, in *Prolegom. ad hist. typogr. Mediol. p. XCVII.* qui de eo adiri debet. De Romana quidem, nihil praeter aliorum, *Mettarii* imprimis, traditionem habeo admodum leuem et negligentem, nec ad iudicandum vtilem, quales solent esse hominum, qui non res et libros ipsos norunt, ut quid de iis tradendum sit, vsu docti sciant. Quamquam ipsi illi artifices in nota epistola ad *Sixtum IV.* Pontificem M. eius mentionem faciunt: vnde tamen nihil aliud discere licet, quam in illius editionis exempla omnes, quae quidem superstites sint, orationes congestas fuisse. De altera accuratius dicere licet, cuius exemplum ipsi tenemus. Ea non habet omnes orationes, quae nunc in editis libris reperiuntur. Absunt, praeter *Verrienas* et *Philippicas*, orationes pro *Roscio Comoedo* et *Fonteio*. Est autem hoc Valdarferianum exemplum, ut charta literarumque formis, pro illa aetate, perpulcrum, ita scriptura ipsa saepe, praesertim in nominibus propriis, vitiosum et prauum, ut suspicari

spicari quis interdum possit, contextum ex ipso exemplo veteri ductum esse ab operis, sine viri docti adiumento, qui e veteri exemplo accurate descriptas et correctas orationes formulis subiiceret, quod tum factitatum, res ipsa loquitur: cum etiam N. T. Graeci Erasmanum exemplum ex ipso veteri codice scripto, sed *Erasmi* manu correcto, ab operis Frobenianis repetitum constet. Sed in calce operis maiusculis literis expressum est nomen *Lod. Carbonis*, quo *Valdarferum* correctore speciminum typographicorum usum esse, e versibus *Virgilio* Valdarferino subiectis discimus: fuitque vir ille latinarum literarum, pro illius aetatis modo, peritus, quas etiam cum philosophia docuit, ad extremum Perusiae Theologiae doctor. Et tamen inter vitia illa scripturae, multae bonae lectiones reperiuntur, quas posterior aetas, vel ignoravit, vel deseruit, aut vitiosae lectiones eiusmodi, ex quibus verae indagari possint. In *Or. in Sen. p. Red. c. 1.* quidem, ubi omnes alii habent: *sed fuerunt duo consules, quorum mentes angustae, humiles, pravae, oppletae tenebris ac sordibus*: id, quod quidam coniecere legendum, *parvae*, plane exhibet haec editio: item ad *Quir. p. R. c. 3. Diadema*, unde vera lectio erui poterat facile. pr. Flacc. 4. efficacius, meo sensu est, quod illa habet: *unde illud est? da mihi testimonium mutuum: non Gallorum, non Hispanorum putatur*, quam quod in aliis est: *num, num.* ut alia mittamus, quorum quaedam infra per aliam occasionem trademus.

Hanc excepit anno post (*LXXII.*) editio *Adami Ambergensis*. Ea etsi in manibus *Graevii* fuit, cum orationes Ciceronis recenseret, tamen non magis ipse, quam alius quisquam, quid in ea inesset, plane commemoravit. *Graevius*, in cetera negligentia, etiam satis habuit, eam modo sub nomine editionis primae, modo sub anni 1472. titulo, ad partes vocare, et lectiones eius in libello *Var. lect.* commemorare. In quo tamen ambiguitate insidias struit securitati lectorum.

VI

Nam cum in praefatione, se, dicat, hanc editionem primam vocare: in libello illo subinde principem editionem appellat aliam, ut ad *Verr. I. 36.* ubi, si quis de *Adamica* capiat, et inde colligat, in ea *Verrinas* inesse, valde erret, cum tota varietas lectionis in illo loco e notula editionis *Gruterianae*, ut pleraque alia, excerpta sit, in qua *princeps editio* pro eadem lectione laudatur, quae ei a *Graeuio* assignatur, quod et *Caecin. 10.* et aliis locis factum. Immo vero per totam *Verrinarum* varietatem, a *Graeuio* notatam, non licet reperire vestigium *Adamicae* editionis: vnde in promptu est, etiam non inspecto eius exemplo, iudicare, *Verrinas* ab ea abesse. Quamquam id certiori testimonio mihi constat. Nam in exemplo nostro editionis *Valdarferianae*, tabulae Orationum in calce adscripterat manus vetus, in editione *Adami* accessisse orationes duas, pro *Fonteio* et *Roscio Comoedo*. Ceterum haud dubio argumento intellexi, eam in ceteris orationibus totam ductam esse de *Valdarferi* exemplo. Nam, quicquid *Graeuus*, in variarum lectionum libello, ex ea commemorat lectionis, id, facta multarum orationum comparatione, omne, totidem literis, esse reperi in *Valdarferiana*: nec aliud est, in quo consensus non sit certus, quam quod interdum nihil variae lectionis notatum est, ubi *Valdarferiana* a *Graeuianae* contextu differt, veluti in *Or. ad Quir. c. 4.* ad vulgatam lectionem *L. Dalmaticus*, et *pravae*, nihil varietatis est ex *Adamica*, ubi, quid *Valdarferus* dederit, ante monui; nec ex *Or. ad S. p. R. e. 2.* notatur, quid sit in illa editione, ubi iam editur *L. Ninnio*, quo ducit ed. *Vald.* quae habet *Numio*: e quo temere editores postea fecere *Mummio*. Sed eae possunt esse praetermissiones, ab negligentia, quae in tali comparatione librorum cui non interdum obrepit. Sed de his videbunt ii, quibus facultas datur illius libri inspiciendi. Nos quidem hac coniectura nihil iniuriae fecisse *Graeuio*, aut ei potius, cuius ille opera usus est in excerpendis variis lectionibus, cum multis exemplis docere possi-

possi-

possimus, vno luculento demonstabo. In *Verrina* IV.58. quo loco *Cicero* commemorat simulacra Iouis Vrii, demonstraturus sanctitatem religionis, quae huic Ioui tribuatur, iubet recordari, *quanta religione fuerit eadem specie atque forma signum illud, quod e Macedonia captum in Capitolio posuerat Flaminius. Etenim tria ferebantur in orbe terrarum signa Iouis Imperatoris, vno in genere pulcherrime facta: vnum illud Macedonianum, quod in Capitolio videmus.* Aures et ratio latinitatis ipsius postulant vidimus. Erat enim combustum cum Capitolio, vt e superioribus clarum est: idque vidit *Hotomannus* per coniecturam: quae sine dubitatione in textum recipienda erat. Ecce illud ipsum vidimus est in ed. *Mediolanensi* a. 1498. qua se *Graevius*, ait, vsum, cuius lectiones subinde in Libello varietatis ponit: et tamen nusquam eius lectionis mentio. Sed de hoc genere plura post dicemus, cum ad *Graevianae* recensione exemplum venerimus.

Antequam ad alias plenioresque editiones progrediamur, non alienum videtur monere, earum orationum, quae in illis antiquissimis exemplis reperiuntur, aliquot inuentas primum esse a *Poggio* in Germania, cum in Italia perissent: quod constat indicio Codicis in Bibliotheca Medicea, in cuius fine id notatum est. Sunt autem hae: *pro Caecina, de lege Agraria contra Rullum duae, in L. Pisonem, pro Rabirio Postumo et Perd. pro Roscio Comoedo. v. Apost. Zeni Dissertationes Voss. p. 43.* Atque ex hoc *Poggiano* exemplo venisse has orationes, in omnes editos libros, eius rei indicio est non modo hoc, quod eodem loco vna omnes in veteribus editionibus reperiuntur, quae ante *Aldinam* factae sunt, sed etiam quod in *Mediolanensi* exemplo, quod *Minutianus* curauit, ad calcem Or. pro *Rabirio Perd.* et initium calcemque alterius pro *Roscio Com.* admonitio diserta adiecta est de lacunis, et mentio exemplaris *Poggiani*, quod istas lacunas habeat, admonente in margine librario, duo folia in codice antiquo

VIII

antiquo abscissa fuisse: *) quam admonitionem repetiit *Ascensus*, qui editionem *Mediolanensem a. 1511.* recoxit, ut in superiori Prolusione diximus: nam in altera *a. 1532.* sequitur *Aldinam*, ut vidimus certius, posteaquam eius quoque exemplum nacti sumus. Ex quo intelligitur, quicquid sit in his orationibus diuersum ab editionibus primis, id esse vel ab errore eorum, qui eas orationes ex *Poggiano* exemplo descripserint, operarumque, vel ab correctione virorum doctorum, qui iis editionibus praefuissent: eamque ob causam nec iactantibus libros scriptos, posterioresque primis editiones, multum tribuendum esse, cum ipsi MSS. libri e *Poggiano* exemplo fluxerint.

His editionibus orationum Ciceronis vulgo subiicitur ea, quae anno *LXXX.* curata est *Venetis*: sed in manus meas e Britannia venit alia, haud dubie antiquior, quae nec artificis nomen, nec loci annique notam habet. Charta est maximi moduli, et candoris, margines lati, literae non illae quidem venustissimae, sed tamen venustiores Romanis *Sueinhemii*, et *Venetis Io. et Vendelini Spirensium.* In eo exemplo, cuius non vidi a quoquam mentionem factam, insunt orationes, quas nunc habemus, omnes, quarum quasi dux est, ut in veteribus, ante *Aldum*, omnibus, *Maniliana*, agmen cogunt *Verrinae* et *Philippicae*, ceterae paullo diuerso ordine, quam in *Valdarferiana.* **) In voce Graeca quae est *Verr. V. 58.* est lacuna,

*) Verba sunt haec: *Deest finis et principium alterius, quod e vetustissimo exemplari, unde haec descripta sunt, duae chartae abscisae fuerunt. Ad fin. or. pr. Rusc. C. In exemplari etiam, quod ex Germania Poggius aduexit, similiter finis desiderabatur. Deinde statim: Huius or. principium de lege Agraria contra Rullum non extat. Duo enim folia ex vetustissimo Codice abscissa fuisse admonitum reliquerunt librarii in marginibus vetustissimorum exemplarium, quae in consultationem huius nostrae editionis adhibuimus.*

**) Sed ordinem utriusque exempli subiecimus, quia ad iudicium de ceteris edd. prodesse potest.

Editionis Valdarferianae Ordo: *Pro L. Manilia. Pro T. A. Milone. Pro Cn. Planco. Pro P. Sulla. Pro A. L. Archia. Agraria I. Pro M. Marcello. Agraria III. Pro Q. Ligario. Pro Deiotaro. Pro A. Cluentio. Pro P. Quintio. Pro L. Flacco. Ad Quir. p. red. Ad Sen. p. red.*

lacuna, vt in omnibus ante *Ascensianam* a. 1511. quae prima exhibet ἔδειπώθησαν, vnde *Aldus* ἔδειν. *P. Manutius* demum ἔδεινώθησαν fecit. Coniectura autem eo deducor, vt credam, esse id exemplum totum ductum e Romano *Sueinhemii*. Nana quascunque *Gruterus*, qui vix potuisse videatur primam editionem Orationum ignorare, lectiones editionis primae commemorat (contuli autem non modo variarum orationum loca insignioris lectionis, sed etiam omnium Verrinarum lectiones) eae sunt totidem literis omnes in hac ἀνωρύμω. Sed haec coniectura valet tum, si primam, vel primogeniam, vt interdum vocat, editionem intellexit *Sueinhemianam*, et non hanc ipsam nostram, aut etiam anni 1480. quam se, ait, in notula prima ad *Or. pr. Quint.* operae pretium duxisse, in locis dubiis, cum altera a. 1483. consulere: quod sane pro certo dicere non sustineo. Vtcunque sit, *contextus eius exempli*, qui in hac editione ἀνωρύμως vulgata, extat, *basis est fere omnium, quae secutae sunt, editionum*: in quibus ille vel simpliciter repetitus est sine varietate, nisi quam typographorum operae induxerunt temere casuque, vel ex aliis exemplis, vel scriptis, vel etiam editis antiquioribus, vt *Valdarferiano*, et aliis, quae partem modo orationum continent, vel coniecturis leuiter mutatus,

red. Ad Quir. c. i. in exil. Pro domo sua. In Vatinius. Pro M. Coelio. Pro S. Roscio Amer. Pro L. Murena. Pro Corn. Balbo. De Arusp. Resp. De Prouinc. Coss. Pro P. Sextio. Pro lege agrar. in R. Pro Rabirio Perd. Pro A. Caecina. In L. Pisonem. Pro Rabir. Post. Inuect. Sallustii in Cic. Ciceronis Resp. in Sall. Catilinae IV.

Ordo Editionis ἀνωρύμως.

Pro L. Manilia. Pro T. A. Milone. Pro Plancio. Pro Sulla. De Harusp. Resp. Pro Murena. Pro Roscio Am. Pro C. Balbo. Pro Sextio. Pro domo. Pro Quintio. Pro Flacco. Pro Cluentio. Pro Fonteio. Pro Cecina. Pro Rabirio Post. Pro Rabirio Perd. Pro Roscio Com. Agrariae III. In Pisonem. Catilinae IV. Sallustii in Cic. Cic. Recriminatio. Pro Archia. In Vatinius. Ad Equites R. a. i. in ex. Ad Quirites p. Red. Ad senatum p. Red. Pro Coelio. De prouinciis Consf. Pro Deiotaro. Pro M. Marcello. Pro Q. Ligario. Verrinae VII. Philippicae XIV.

B

X

mutatus, interdum etiam quacunq̄ue de caussa deprauatus: id quod iam per omnes editiones, quae in manibus nostris sunt, eundo, demonstrabimus breuiter.

Primum igitur, ordo orationum, qui est in illo exemplo, diuersus a *Valdarferiano*, a plerisque vsque ad *Aldinum* seruetur. Ab initio non omnes orationes simul editae sunt: nec enim in vno omnes codice reperiuntur. *Philippicas* separatim ediderat *Vdalricus Gallus* Romae, alii, vt opinor, alias, vt copia data erat. *Sueinhemius* primus omnes vno volumine complexus est, auctore *Andrea Aleriensi*, qui Codices viro suppeditabat: quod ille in calce operis indicare voluisse videtur, itemque in epistola supra commemorata, in qua inter libros ab se editos memorat *Orationes Ciceronis cum Inuectiuis in Antonium, Verrem, Catilinam*. Consentunt porro cum huius editionis contextu in omnibus, etiam insignioribus, et a *Valdarferiano* et *Adamico* diuersis lectionibus, editiones *Venetae 1580. 1583.* quarum vna nil est nisi repetitio alterius. Etiam paruis rebus consentiunt. Titulus *Philippicarum* in *ἀνωρύμω* est hic: *M. T. Cic. in M. Antonium Orationes, quae Demosthenis in regem Philippum Macedonum exemplo Philippicae nuncupantur.* Is totidem verbis repetitus est in *Veneta* vtraque. In titulis orationum iudicialium varie vel additur vel omittitur *ad iudices*: ecce in iisdem et additur et omittitur apud Venetos, similiterque in ceteris titulis omnia plane eadem. Nec arbitror ab his diuersam esse, quae a. 1477. attribuitur a nonnullis: nisi error in ea re intercedit hic, vt *Asconii Pediani* editio, quae primum eo anno facta est *Venetis*, pro omnium orationum Ciceronianarum editione memoretur.

Post has duae *Venetae*, eiusdem officinae *Barthol. Zanis de Portesio*, editiones memorantur, altera anni 1495. altera 1499. quarum posteriorem prioris repetitionem esse putamus. Huius textus quidem ex eodem fonte ductus est, sed habet tamen lectiones quasdam diuersas, quae non possunt casu irreplisse:

V. C.

v. c. quod ad *Quir. p. Red. 2.* plane editur, vt Critici recentiores voluere: non vt pro *Q. Metello*, clarissimo viro, iam spectata aetate filius: non *L. Diadematus*, consularis, summa auctoritate vir: non *Q. Metellus censorius etc.* quod, cum paucis aliis, vel e MS. vel potius e *Valdarferi* aut *Adami* exemplis ductum est. Idque mihi fit etiam inde verosimile, quod Ordo orationum, qui in superioribus *Venetis* seruatus erat, in hac desertus, et ordo *Valdarferi* repositus est, duabus orationibus pro *Font.* et *Roscio Com.* ad calcem reiectis, *Verrinis* separatim, velut alio volumine, cum propria subnotatione loci, anni, et officinae, additis, *Philippicis* autem plane omissis: quod ne casu accidisse putem exemplo (a. 1499.) quod in manibus habeo, testimonium impedit eorum, qui in priori (a. 1495.) pariter *Verrinas* separatim, sine *Philippicis*, adiunctas testantur. v. *Mettarius ad a. 1496.* Sed vt permultis locis recte deseruit auctoritatem huius editionis, vt cum in *Or. pro Quintio init.* non, *ne me dicendo impediatur*, e *Vald.* sed *in dicendo* cum ceteris tum vulgatis edidit: nam quod in *Graeuiana* notatur, MSS. et edd. habere *ne me dic. i.* id tantum ad *Vald.* et *Aldinam* cum sequacibus pertinet: ita contra interdum, etiam vbi non debebat, veluti l. c. 2. in verbis *magnitudo periculi summo timore hominem adfcit*: vbi retinet tum vulgatum in aliis omnibus (non vt *Gruterus*, et ex eo *Graeuus* tradunt, duabus tantum edd. vett. h. e. *Venetis* illis) *conficit*: quod inde ab *Aldo* recte ab omnibus repudiatum est, restituta lectione *Valdarferi*, *adfcit*. Ceterum ei editioni quis prae fuerit, statim patebit.

Eodem scilicet anno prodiit exemplum orationum e *Phil. Beroaldi* recognitione per *Benedictum Hectoris Bononiensem*, vt titulus habet, apud *Mettarium*, sed sine loci indicio, cuius loco typographus emtores beavit magnifica operis commendatione: *impressit B. H. B. ea diligentia, qua si omnes operibus formandis vterentur, bene cum literis ageretur.*

XII

Huius ipsius editionis exemplum nobis quidem non contigit videre: sed habemus in manibus eius repetitionem, *Venetis a. 1505.* factam per *Christoph. de Pensis*, eodem titulo, in quo *Beroaldo* recognitio tribuitur. Id exemplum autem adeo refert superiorem editionem (*a. 1499.*) vt etiam paginae singulae singulis, numero, et argumento, et vitiis operarum, respondeant, *) sitque haec mera illius repetitio. Quodsi hunc contextum concinnauit *Beroaldus*, siue in *Portesii*, siue in *Benedicti Bononiensis* gratiam, certe alter librariorum alterum foeda fraude circumuenit. Nam *Portesii* editio profitetur in calce se absolutam esse *a. 1499. XIV. m. Maii.* altera *Bononiensis*, eiusdem anni *idibus Aprilis.* Ac forte fraus *Portesii* hic intercessit in hac *Beroaldina* recognitione talis, qualis *Alex. Minutiani* in *Tacito Beroaldi* fuit, de qua in praefatione ad *Tacitum*, a nobis ante aliquot annos recognitum, diximus. Ceterum ex his exemplis haud dubie fluxit editio *Florentina Iuntae a. 1515. 8.* cui *Nic. Angelius* praefuit. Est idem ordo, eadem *Verrinarum* in peculiare volumen conclusio: sunt tamen lectiones quaedam huic propriae. Et ait *Angelius*, se castigatissimo codice beneficio *A. Colotii* vsum esse, incertum quarum orationum, et aliis plurimis ac vetustissimis exemplaribus, quae nominatim non commemorat, per quae se innumerabilia, pleraque letalia, vulnera sanasse. Tales praedicationes illis temporibus frequentes fuere, sed res plerumque non apparet. In hac quidem editione, fateor, plures me lectiones nouas reperisse, quae nunc quoque sint in exemplis editis, recteque probentur. Primus, quod sciam, pro *Quint. I.* edidit: *Certe aut apud te - - veritas valebit, aut ex h. l. repulsa vi et gratia, locum, ubi consistat, reperire non poterit:* cum ante fuisset, *ubi res consistat:* primus *ibid. c. 2. telum - - iecerit,* et mox, *venenatum telum iecerint, pro legerit et legerint:* primus *Agrar. 30.*

*) v. c. in *Agrar. II. 30.* est in vtraque *itane vero? priuatam po. Ro. de hac vectigali potest dicere: ubi totus versiculus temere omissus est.*

pro vulgato: *at̄ fide pop. R. de hoc vectigali potest dicere, at vide, si pop. R. non absurde, si e libris: melius tamen, quod post editum est. Et talia plura in hac editione reperiuntur. Argui eum vidi temeritatis a Grutero ad Verr. 65. vbi in vulgato Quid? si L. Pretium equitem Rom. qui tum in Sicilia, nominabat? addidit negotiabatur, quod desiderari videtur. Sed fauet tamen ei rei editio ὀνόμαστος, quae habet nominabatur, quod videtur indicare, omissum esse alterum verbum, quod ita terminaretur.*

Inter haec etiam *Mediolani* editae erant orationes *Cicero-*
nis ab *Antonio Zaroto*, si fides *Io. Smith*, apud *Saxium* in *Catal.*
libr. Mediolan. p. DCXIII. sed qualis illius editionis exempla
fuerint, iudicare non licet, cum nec ipsi viderimus vnquam,
nec quicquam praeter nudum indicium sit eo, quo diximus,
loco. Sed qui *Zarotum* aliosque typographos adiuuare corri-
gendis libris solebat, et sumtu faciendo, *Alexander Minutia-*
nus, is post, instituta officina, et conductis operis, ipse curam
edendorum veterum auctorum suscepit, in his *Operum Cicero-*
nis omnium, quae a. 1498. et 99. IV. Voll. prodire: de qua
editione diximus in superiori illa Prolusione, quantum erat tum
fatis, et quantum poteramus: nunc, qualis orationum contextus
sit, planius dicendum est, atque dicere licet, cum ipsi eius ope-
ris tria volumina nacti simus. In quo, vt nihil dicam de splen-
dore operis a pulcritudine literarum, quas ille superioribus
omnibus pulchriores effecit, a magnitudine et candore charta-
rum, marginum denique latitudine: si credere ipsi *Minutiano*
velimus, multa ab eo, vt in vniuersis *Ciceronis* libris, sic in
orationibus emendata credemus. Et erat profecto *Minutia-*
nus is, qui posset praestare plurimum, ipse bonarum literarum
Professor doctissimus atque clarissimus, si satis temporis sibi su-
meret, et labori non parceret. Verum, si, quot et quanta
opera paucis annis ediderit, cogitemus, quam parum temporis
inter *Liuii* et *Ciceronis* editionem interiectum fuerit, vix est, vt

XIIII

magna sperare possimus. Sed quid in Orationum volumine animaduersum nobis sit, dicemus. Vt igitur ordo orationum est idem, qui in vetere ἀδεσπότη editione, et *Venetis 1480. 83.* ita et lectionis vniuersae basis est in illa ipsa editione. Nam cum ea fere consentit, etiam in insignioribus lectionibus, cum bonis, tum vitiosis, nec multa sunt, in quibus ab iis in meliorem partem (typographica peccata excipio) et ita insigniter dissentiat, vt aut e codice bene scripto, aut ab ingenii exquisita solertia profecta illa dissensio videatur. Poggianum quidem codicem ab illo inspectum videri, ante diximus. Commemorata est etiam bona lectio ab eo inducta, cui similis est altera *Agr. II. 30.* vbi in verbis: *priuatam haec causa commouet, In po. R. ne - non commouerit*, quae est lectio primarum editionum, explanate primus edidit, *populum Romanum sine in:* quod bene alii secuti sunt, donec inde a *Lambino* temere inductum, ab aliis et seruatum, *populus R.* At mox nihil vidit in sequentibus: *at fide P. R.* pro quo hodie bene editur, *at qui idem populus R.* *Minutiano* porro debetur lectio, id quod *Graeuus* non notauit, *Cluent. 26. cum domi suae miserrimus et inanissimus tantum numerum positum videret*, quam omnes deinde secuti sunt, et a *Grutero* repudiata, reuocauit *Graeuus*. Quod autem *Gruterus*, velut e MSS. *miserrimis in locis et inanissimis*, edidit, idem est in vetere editione ἀνωρύμω, nisi quod vitio operarum est *miserrimus*, idque secuti religiose *Veneti*, cum *Valdarferus* contra et *Adamus* nihil habeant, nisi, *cum miserrimus tantum numerum etc.* Eius generis plura liceret commemorare, si longiores esse vellemus: et haec pro consilio praesentis scriptionis sufficere arbitramur. Proximus ab *Minutiano* editor operum Ciceronis fuit *Ascensius*, vt ante diximus, qui etiam eius exemplum, vel maxime in orationibus, expressit. Itaque v. c. in omnibus iis, quae ante indicauimus, *Minutiani* bonis, cum eo plane consentit; si qua parte forte aberrat, velut cum in loco *Agrariae* habet *commouit* pro *commouet*, quod post editoribus placuit, id temeritati casus tribuendum videtur. Sed

Sed alia veluti series exemplorum nascitur ab *Aldinis* ex *Andr. Naugerii* recognitione, de qua in priori prolusione dictum. Primum novus orationum ordo institutus est ad rationem temporum, quem postea omnes deinceps sunt secuti. In textu autem video *Naugerium* multa correxisse, in eoque saepe *Iuntinam* editionem, etiam *Valdarferianam*, secutum, ut, cum *Quint. 1. ne me dicendo impediatur*, omisso *in*, et c. 2. dedit: *magnitudo periculi timore hominem adficit*, quod in sola *Valdarferiana* reperitur, ceterae omnes *conficit*. Interdum tamen et ingenii coniecturam secutus est, unde saepe sequentes editores eum deseruere. Sed de hoc dictum est alias. Ceterum *haec editio* orationum *est basis omnium, quae post prodierunt*, nec aliud actum ab editore quoque, quam ut, pro facultate librorum et ingenii atque doctrinae, contextum, vel pleniorum, vel emendatiorum redderet. Lacunae aliquot e MSS. expletae sunt in editionibus *Cratandri* et *Heruagii*, et loca plurima sanata per codices Germanicos, ipso *Victorio* fatente, Germanos bonis codicibus usos esse in *Cicerone* edendo v. *not. ad Epp. ad Fam. IV. 5. XV. 9.* etc. Sed nihil attinet, hoc loco repetere, quae dicta sunt alibi de iis, qui *Ciceronis* opera omnia edidit. Pauca addemus de iis, qui tum a nobis praetermissi sunt, et de indole textus orationum nunc vulgati.

Ciceronis opera edidit etiam *Io. Mich. Brutus* apud *Ant. Gryphium* a. 1570. *sqq.* de qua editione nihil in recensione editionum *Ciceronis* a nobis antea dictum est, quia putabamus, nihil differre a *Gryphiana* a. 1540. 8. quae se in titulo *Victorianae* filiam profitetur. Sed admonuit nos *D. I. M. Reinhardus*, Antistes *Beltitiensis*, in *Saxonibus*, Theologus omni doctrina cultissimus, qui non debuerat in illo angulo latere, idemque pietate insignis, vetus amicus noster, esse penes se partes editionis *Gryphianae* a. 1570. et *sqq.* curatae, quae sit propria *Bruto*, eiusque rationem nobis perscripsit. Nacti post ipsi sumus exemplum orationum *Ciceronis*, e recognitione
Brutina,

XVI

Brutina, quod ex officina *Plantini* a. 1584. 8. exiit: quo per-
 spectro, cognouimus, *Brutum* nullis MSS. vsum, coniecturas
 modo exercuisse, maxime tamen animaduersiones e libris su-
 periorum, qui vel vniuersos, vel singulos *Ciceronis* libros edi-
 dissent, aliorumque Criticorum, qui loca *Ciceronis* corrigere
 tentassent, collegisse: in quibus maxime fauet *Lambino*: quae
 causa esse videtur, quare *Gruterus* et *Gebhardus*, *Lambiniana*
 recensione infestissimi, interdum durius eum tractent in notis
 ad *Ciceronem*. In praefatione videtur innuere, eas notas, qui-
 bus nullum nomen adscriptum sit, suae correctionis esse, de
 quibus liberum cuique iudicium esse velit. Sed in his quoque
 multa dudum in editis libris prodita. Nec dissimilis *Bruto* est
Io. Bulierius, cuius editionem operum *Ciceronis* Lugd. a. 1562. 12.
 et ipsam nunc habemus. Sequitur *Aldinam*, vnde etiam prae-
 fatio *Nangerii* repetita est in fronte *Orationum*: sed tamen et-
 iam veteribus exemplaribus se vsum iactat. Nobis nihil ad-
 modum licuit, multis locis experiundi causa inspectis, repe-
 riri, quo *Ciceroni* per vetera exemplaria profuerit. Sed forte
 nos nondum in illa loca incidimus, in quibus textum *Aldinum*
 emendatiorem reddidit, nisi forte varietates lectionum intel-
 ligi voluit *Bulierius*, quae in margine subinde notatae sunt.

Ergo his quidem parum admodum aut nihil debent ora-
 tiones *Ciceronis*. At tanto plus *Philippicae* debent viris do-
 ctis *Maturantio*, *Faerno*, *Mureto*, quorum istum quidem ex in-
 genio corrigere has orationes tentasse, satis arguit praefatio,
 hi autem codice Vaticano sunt vfi. Etiam *Aem. Ferretus* in
 Epistola ad *Saluiatum* Cardinalem, quae in Capite editionis
Bulierianae repetita est, se post *Victorianam* recensionem con-
 tulisse ait excerpta codicis antiquissimi et emendatissimi, qui con-
 tineret *Verrinas* et *Philippicas*, ad emendatiore reddendas
 has orationes, quod cognouisset, hoc suum exemplar minus
 quidem illustre, sed castigatius esse *Florentino*, quo *Victorius*
 maxime vsum esset. Eius recognitionis exempla prodire Lugd.
 ap.

ap. Seb. Gryph. 1541. 8. Sed nondum nobis licuit exemplum eius cognoscere. Mittimus alios, qui singulis orationibus prodesse voluere, ne nimis longi simus. Restat vt de indole contextus, qui nunc vulgatus appellatur, pauca dicamus.

Ita autem maxime appellatur *Gruterianus*, praesertim a *Iac. Gronouio* purgatus, atque etiam quibusdam locis mutatus. Sed huic a nonnullis praefertur *Graeuianus*, in quo multa loca ex edd. antiquis, et MSS. *Erfurtenfi* maxime et *Dresdensi*, sunt castigata: quo nomine merito magna laus *Graeuio* debetur. Sed tamen ampla adhuc copia est emendandi. Primum in neutra editione veteres libri editi satis copiose aut satis diligenter sunt consulti. Neuter habuit librum *Valdarferi*, neuter editionem *ἀνώρου*, forte ne *Gruterus* quidem Romanam. Vnde fit, vt interdum aliquid in nullo libro edito esse dicatur, quod est in non vno, vt pro coniectura proferatur, vel repudietur, quod dudum editum est. In *Catilinaria III. 8.* fulmen dicitur *turres* plures percussisse. Id me semper offendit. Quae sunt istae turres in Capitolio? Non tum templa turres habebant, vt nostra more Gothico. *Gruterus* notat se in MS. reperisse *res* non *turres*: sed libros editos in *turres* consentire. Atqui *Valdarferi* exemplum exhibet *res*. A *Graeuio* porro, aut eo, cuius opera vsus est, negligentius collatas esse veteres editiones, quarum copia erat, ante diximus. Nihil negligentius factum vidi, quam libellos variarum lectionum, qui sunt ad calcem Voluminis cuiusque: adeo non modo multa non notata sunt, sed etiam vitiose: vni veteri aut duabus edd. tribuitur, dum secure describuntur notulae Gruterianae editionis, quod omnes summo consensu, aut vna *Valdarferiana* dissentiente, habent: ed. *Mediol. 1480.* commemoratur pro *Veneta*, cum *Mediolanensis* illius anni nulla nec sit, nec ab ipso in praefatione commemoretur. Sed illud in vtroque contextu maxime vitiosum ac reprehendendum est, quod insunt in ipsa

XVIII

Hamburgensi editione vitia typographica crassiora, quae a *Gronouio* non sublata, a *Graeuio* etiam seruata sunt, cum consultis vel Grammaticis rationibus, vel editionibus priscis, facile potuissent deprehendi, quod ipsum negligentiam conferendi arguit. In pluribus locis mihi hoc accidit, vt, cum aut olim in lectionibus ex natura linguae et rei ostendissem, corrupta esse verba, et quomodo emendanda essent, post, cum in lauta copia editionum esse coepissem, deprehenderem, ita vt dixissem, in edd. vett. esse, et illa vitia esse ab operis typographicis, non animaduersa vel *Grutero*, vel *I. Gronouio*, vel *Graeuio*, vel omnibus. Ne incredibile videatur, age aliquot exemplis rem planam faciam. *Verr. II, 51.* omnes illae tres edd. habent: *Syraculis lex est de religione, quae in annos singulos Iouis sacerdotem sortito capi iubebat.* Ratio grammatica de temporibus et modis me docebat, esse debere *iubeat*. Operae germanicae, offensae coniunctiuo, fecere *iubeat*: atque id lectores germanicae linguae adsuetos fefellit, etiam doctos. Vidi deinde omnes editiones ante *Gruterum* summo consensu habere *iubeat*: quod est reponendum. Non longe post c. 53. verba in tribus edd. sunt haec: *Itaque populus eum, qui maximam fidem rerum suarum habebat, maxima cura deligit.* In quibus idem esse vitium attendenti leuiter apparet. Et est in omnibus, ante *Gruterum*, *habeat*: pro quo *habebat* dederunt temere operae: idemque de *qui* dicendum, quod non est in *Lambinianis* tribus, quas ipse possideo, recteque corrigitur cui a *Graeuio*. In eadem oratione c. 69. qui attente legerit haec: *statuae equestres, quas tu paullo ante, quam ad urbem venires, poni inscribique iussisti, vt omnium inimicorum amicos accusatorumque tardares,* haereat necesse est in *amicos*, videatque rescribi debere *animos*: ita cum primum legi diligenter, corrigendum iudicaui. Enimuero ita habent omnes ante *Gruterum*, apud quem per negligentiam operarum ita expressum,
per

per parem incuriam a *I. Gronouio* et *Graeuio* seruatum. In *Verr. III. 60. extr. quid potuit elegantius facere praetor cupidus existimationis bonae, qui ab sese omnem suspicionem propulsaret, qui se eripere ex infamia cuperet?* Adscripsi, cum primum interpretarer in scholis, *propulsare* legendum esse. Non me fefellit ratio grammatica. Nam ita post vidi, omnes veteres habere, *propulsaret*, vitium esse *Gruterianae* editionis, non obseruatum nec *I. Gronouio*, nec *Graeuio*. Par vitium est a pari causa, *IV. 55. extr. ac videte, quanto tetrrior hic tyrannus Syracusanus fuerit, quam quidam superiorum;* quot ab initio vitium typographicum esse putabam in libro meo, corrigendumque *Syracusanis*: sed omnes illas tres edd. habere vidi, *Syracusanis* omnes superiores. Et his similia reperiuntur, quae omnia commemorari hic non est necesse. Haec autem scripsimus, vt admoneremus studiosos, et vero etiam ceteros, qui in rebus Criticis iudicium suum interponere audent, ne nimis confidant libris, quamuis nobili nomine editoris insignibus, sed attendant et omnia ad leges artis exigere consuescant.

Quam admonitionem, cum tota hac narratione, hoc magis conuenire huic tempori et scribendi consilio existimaui, quod id totum spectat ad indicandos honores, quos vel tribuimus ante, vel mox tributuri sumus XII. studiosis cum omnis doctrinae liberalis, tum etiam inprimis literarum latinarum et artium dicendi, quas nullo ex alio scriptore rectius, quam e Ciceronis orationibus cognouerint. Eorum nomina subiecimus

CAROLVS FRIDERICVS HOFMANNVS,

L I P S.

IOANNES FRIDERICVS TELLERVS,

L I P S.

GEORGIUS CHRISTIANVS TELLERVS,

L I P S.

C 2

IOAN-

XX
 IOANNES IACOBVS HASELAU,
 GEDANENSIS.
 CHRISTIANVS AVGVSTVS CLODIVS,
 ANNAEMONTANVS.
 CHRISTIANVS SAMVEL WEISSIVS,
 LIPS. PHIL. BACC.
 IOANNES GOTTLOB RICHTERVS,
 SAXO.
 IOANNES CHRISTIANVS FORWERGIUS,
 LIPS.
 IOANNES GEORGIUS FRIDERICVS FRANZIVS,
 LIPS.
 GOTFRIDVS ADAMVS LEHMANNVS,
 LIPS.
 DAN. GOTHOLD IOSEPHVS HVBLERVS,
 FRIBERG.
 IOANNES CHRISTIANVS FOERSTERVS,
 DRESD.

Ex his quinque extra ordinem creati, nunc rite renunciabuntur,
 ceteri, proximis Kalendis Martiis, hora X. in Auditorio no-
 stro creabuntur et solemni ritu inaugurabuntur. Hanc ceri-
 moniam vt RECTOR MAGNIFICVS, ILLVSTRISSI-
 MI COMITES, OMNIUM IV. ORDINVM DOCTO-
 RES, COMMILITONES denique, vel natalibus, vel ingenio
 et virtute generosi, praesentia sua cohonestare et celebrare ve-
 lint, ita rogamus, vt eos existimare velimus, in eo se non
 illis magis, quam ordini nostro, et bonis literis, honorem ha-
 bituros esse. P. P. in Vniuersitate literarum Lipsiensi. Domin.
 Estomihi A. C. CIOCCCLIX.



Coll. Diss. A 165, Misc 8